

*Lucullo nostro notam esse oportebit: nam his libris cum malo, quam reliquo ornatu villae, delectari. — Aetatem video equidem: sed tamen jam infici debet iis artibus, quas si, dum est tener, combiberit, ad majora veniet paratior.*

3. Quam studiosus comparandae ornandaeque bibliothecae ipse Cicero fuerit, patet ex multis ejus epistolis ad Atticum.

Tu, velim, ea, quae nobis emisse et parasse scribis, des operam, ut quam primum habeamus: et velim cogites, id quod mihi pollicitus es, quemadmodum bibliothecam nobis conficere possis. Omnem spem delectationis nostrae, quam, quum in otium venerimus, habere volumus, in tua humanitate positam habemus. Ego quotidie magis, quod mihi de forensi labore temporis datur, in iis studiis conquiesco. Summum me librorum studium tenet, sicut odium jam caeterarum rerum. — Bibliothecam tuam cave cuiquam despondeas, quamvis acrem amatorem inveneris; nam ego omnes meas vindemiolas eo reservo, ut illud subsidium senectuti parem. — Noli desperare, libros tuos me meos facere posse. Quod si assequor, supero Crassum divitiis, atque omnium vicos et prata contemno.

4. Studiorum, quae liberalissima impensa est, tamdiu rationem habebō, quamdiu modum. Quo mihi innumerabiles libros, et bibliothecas, quarum dominus vix tota vita sua indices perlegit? Onerat discentem turba, non instruit: multoque satius est, paucis te auctoribus tradere, quam errare per multos. — Nunc plerisque, ignaris etiam servilium litterarum, libri, non studiorum instrumenta, sed coenationum ornamenta sunt. Paretur itaque librorum quantum satis sit, nihil in apparatus. — Honestius, inquis, in hos impensas, quam in Corinthia, pictasque tabulas, effuderim. Vitiosum est ubique, quod nimium est. Quid habes, cur ignoscas

---

Cic. ep. 7. Ibid. ep. 20. — Ibid. ep. 11. — Ibid. ep. 10. — Ibid. ep. 4. Senec. de Tranqu. e. 9.